



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sermo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

eiusque omnino dominus, pro luce merito nominari, eum mundi lucem profiteri, ac per oculum lucis receptaculum, figurari.

ANGELI. CAP. VI.

Quatenus vero noster oculus, licet alicujus sit particeps lucis, alterius tamen luminis indiget, si videre velit, eum Divos, sive Angelos, sive, ut veteres plurimum dicebant, Genios referre autumant: qui quidem sine superioris luminis, hoc est, Dei ipsius irradiatione obire per se proprium munus intelligentiæ nequeant intellectum enim quasi oculum videri, qui non ex se, sed lucis participatione videt. Oculum porro, hoc est, ipsum intellectus vigorem, non omnino esse simplicem, sed qui adventantis lucis compositionem concretumque minime pateretur. Hinc communis est antiquorum sententia, constare Angelos ex actu & potentia: quod altiori quadam inquisitione elucidari deberet, nisi solam hieroglyphicorum commentationem mihi demandassetis.

SERMO. CAP. VII.

Sermo dupliciter
consideratur.

Ut ceptum igitur prosequamur argumentum, eundem Oculum invenimus esse sermonis hieroglyphicum apud Ægyptios, sermonemque ipsum dupliciter considerari. Uno modo quatenus loquendi facultatem à natura consecuti sumus: altero, quo in hoc vel illud idioma linguam imitamus, & in proprio artem & elocutionem adhibemus. Simplicem itaq; sermonem illum per linguam tantum figurari: sed si cultum & elegantiam accessisse innuere vellent, linguæ oculum subsanguineum subjiendum. Vigorem enim in eo quendam ita ostendebant, aut animæ principatum, cuius in sanguine sedes esse fertur. Sic autem perfectos animæ sermones effinxisse visi, similitudine à nobilitate sumpta: quæ ut præcipue oculis in est, ita etiam sermoni congruit: casuum quippe multiplicitate, pronuntiationis varietate, accentuum tenore, alio atq; alio oris, ac totius demum corporis motu, vel ab arte, vel à natura concurrentibus.

CONTEMPTOR DIVUM. CAP. VIII.

Alicubi videmus in solea insculptum, oculum, quod iuniores pro animo Deo subiecto, & ad ejus obsequia parato, posuerunt: quod ego aliorum iudicio reliquerim. Scimus nos soleam simpliciter calcandi supprimendique indicium esse, ipso uno, quod satis est, Virgilio dicente:

Georg. l. 2.

Atque metus omnes, strepitumque Acherontis avari
Subjecit pedibus.

Ideoque divum contemptorem, impium & perditum hominem intelligi, videri convenientius.

FAVOR. CAP. IX.

Verbi, aspi-
cere hiero-
glyphicum.
Æneid. l. 1.
1. Vid. l. 1.

Neque desunt, qui oculum favoris & beneficentiæ signum dicant, & in sacris verbum, *Aspicere*, significare se propitium & benignum ostendere. Videmus enim apud Maronem, ubi Jupiter *Lysivæ* defixit lumina regni. Reginam rite quietum accipere in Teucros animum, mentemq; benignam. Contra vero de Pallade acriter irata, *Divæ solo fixos oculos averfa tenebat*. Hunc vero favorem qui per oculum indicatur, Theologi nostri Gratiam vocant. Unde quos Deus aspicit, fortunari: quos se versari videtur, derelinqui, & infelices esse profiteamur. Et quoniam nutus plurimum in palpebris consistit, sunt qui palpebras attributas Deo locutionis ejus, quæ in Divinis literis habetur, hieroglyphicum esse dicant. Unde de incomprehensibilibus ejus sacramentis atque judiciis, diceret Eucherius, Psalmo dictum: *Palpebra ejus interrogant filios hominum* Hieronymus quoque eisdem verbis, *Palpebras* (ait) incomprehensibilia judicia Dei, esse eodem citato versu.

1^o Job. 10.

CASSUS LUMINE. CAP. X.

Hinc for-
asse illud
allegoricum
lib. 2.
Sam. c. 5.
Cacus &
claudius non
intrabunt
templum.

In Divinis literis, ut hoc subiciamus, obcæcatus pro eo ponitur, qui Dei nullam habet cognitionem neque ullam veritatis lucem intueri potest. Quod vero Assertor noster ait de oculo, qui mentem infestet atq; seducat, eruendo: inepte quidam, imo impie atq; Judaice carneum oculum re ipsa effodiendū abjiciendumq; intelligunt: unde nunnulli, nacla hinc calumniandi ansa, in Christiani jugi levitatem onerisq; levitatem, dura nimis præcepta Christi vocaverunt. Cæterum si tam stupidi sunt, ut Evangelicæ lectionis sensum non intelligant, sciant Chrysostrum, Cyprianum, & Hilarium, doctos pro-